

J. S. N. J.
EXERCITATIO LOGICA
De
CONVERSIONE
in Genere

quam
Supremo Numine benigniter adjuvante in almâ VVitte-
bergenſi Academia,

PRÆSIDE

Viro Clarissimo, Amplissimo & Excellentissimo

DN. CHRISTIANO TRENTSCHIO
Logicæ & Metaphyſicæ P. P. celeberrimo, Præceptore,
Patrono & Fautore ſuo æternum colendo

publicæ diſquiſitioni ſubjicit

M. GODOFREDUS FRIDERICI,

Uratſlavienſis Sileſius

ad diem XXIX. Auguſti

in Auditorio Majori

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academiae Typographi

Anno 1657.

a. cxxii. 60.

oll. diss. A
S 22, 60

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some words are difficult to discern but appear to include "LITERATUR", "KONVENSION", "VIRUS", "FRIEDRICH", and "M. GODEFRIDUS".





J. S. N. J.

§. I.

DE τῷ ἐπὶ affectionum Enunciationis inter Logicos ferè nullum existit dubium, cum communi ore pleriq; doceant, dari propositionum habitudines rationales, quæ ex conceptu ipsarum primo fluant, easq; extraessentialiter denominent, quod exemplis confirmatur, nam ut taceam affectiones disjunctas, quamcunq; propositionem convertere, alteri opponere, subordinare, æquipolenter conferre & sic operatione intellectus circa eam versari possumus. Quòd verò conversio affectionibus Enunciationum meritò annumeretur, vel exinde patet, quia est respectus rationis propositioni superadditus, secundum quem in transponendis terminis illius qualitas & veritas dijudicari potest. Quia verò adeò expeditum est inter Logicos Peripateticos, conversionem esse affectionem enunciationum simplicium, ita ut vix ullus illorum reperiatur, qui id ipsum in dubium revocet, de quânam conversione (cum hoc vocabulum πολύσημον sit) in sequentibus acturi simus, breviter dispiciemus.

§. II. Cum itaq; πᾶν τὸ πολλαχῶς λεγόμενον ἀσαφές docente ex Aristotele Dn. D. Scharffio Inst. Logic. lib. 1. tract. 1. cap. 1. & ex nominum accuratâ evolutione sæpenumero in rei ipsius perceptionem provehamur, censente Scalig. ex. 1. de subtil. nonnulla de diverso vocis, Conversionis, usu & acceptione præfaminis loco præmittere operæ pretium esse censemus. Conversionis itaq; vocabulum in quadruplici potissimum occurrit significatione. Sumitur enim vel 1. protransitu unius rei in aliam incompatibilem, remanente aliquo communi, apud Franc. B. Spei p. 3. Phys. de Generat. & Corrupt. d. 2. de Conv. dub. 1. resol. 1. quam tamen acceptionem ut alibi excutiendam, ita à proposito nostro omninò alienam esse censemus. 2. pro transpositione

tione terminorum, qui sunt convertibiles & æquales; quales termini sunt subiectum & propria passio, species & differentia essentialis, definitio & definitum *V. G.* quando dicitur: *Omne rationale est risibile, & Omne risibile est rationale.* Verùm talis transpositio terminorum cum non fundetur in formâ logicâ, sed in ratione & naturâ terminorum convertibilium, ac vi materiæ inferat, ideò propriè sic dicta Conversio non est. 3. pro transpositione correlativorum, quæ se mutuo ponunt, & lolet aliàs convertentia appellari. *V. G.* quando dicitur: *Pater habet filium, & filius habet patrem; Dominus habet Servum & servus habet Dominum.* Verùm nec hæc Conversio in sequentibus nobis consideranda veniet; cum in eiusmodi Enunciationibus non transponantur integri termini, sed pars solum terminis. 4. pro mutatione prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum, servatis iisdem terminis, eademq; propositionum qualitate; & hæc Conversio sicut propria & vera est, ita eandem amplectimur, & de eâ in præsentia acturi sumus.

§. III. Nunc opponit sese nobis Ramus, ejusq; asseclæ communiter, reiicientes Aristotelicorum de conversionibus Enunciationum doctrinam. Ita enim illorum princeps *Petr. Ramus l. 7. Schol. Dial. c. 4.* inquit: *Declaratio præceptorum de Conversione obscurissima est, imò planè nulla.* Nam, pergit, *utere abecedarijs exemplis in Grammaticâ, exponendâ, & dic te his uti ut maxime communibus, utrum ridebere, an insanire potiùs vi debere?* Sed non verendum, quod hæc doctrinâ propositâ ad deridendum nos aliis propinemus, illi potiùs notandi sunt, quòd hanc doctrinam, quæ tum ad finem logices, discretionem puta veri à falso acquirendam, tum ad reductionem syllogismorum imperfectorum ad perfectos plurimum confert, ac ob insignem usum maxime sese nobis commendat, rejiciant. Obscuritatem quam tantoquerè urget Ramus, non est ut timeamus: Exculta enim atq; adeò elaborata est à Clarissimis Viris, ut illius præcepta unicuiq; tironi citra difficultatem proponi atq; inculcari possint, conferatur in specie hæc de re *Dn. D. Scharffius lib. 2. Inst. cap. 19. Dn. D. Jac. Martini l. 4. Institut. c. 5.* Multò minùs illud Ramo largiri debemus, quòd conyerfio merus lusus, & propterea rejicienda

enda

ēenda sit, quia medio careat, & idem per idem probet. Affi-
git enim hic nobis aliam mentem, quasi conversionem Enun-
ciationum ad probationem afferamus, & pro directā argumen-
tatione habeamus: nam eam non ad probationem, sed propter
reductionem Syllogismorum imperfectorum ad perfectos nos
proponere, ex præceptis Logicis neminem fugit. Plura videan-
tur apud B. Dh. D. Jac. Martini l. 2. Discus. Ramist. c. 4. q. 10. Henr.
Nicolai Gymnas. Log. c. 9. §. 15. Danhavv. in Id. bon. Disp. & malit. So-
plu. Sect. 2. art. 2.

§. IV. Maneat ergo Conversio vera Enunciationis affe-
ctio. De adæquatione verò illius, an omnes in universum
Enunciationes converti queant, adhuc dubium videri potest.
Pleriq; affectionem hanc ad simplices tantum restringunt, &
quòd Enunciationes compositæ non queant converti, constan-
ter asserunt, & ex hac ratione Authores in explicandâ Enuncia-
tionis compositæ naturâ occupati, nullam planè conversionis
faciunt mentionem. *Tataretus tr. 1. de convers. propos. f. 9. col. 2.*
expressè dicit, quòd solum Categoriæ de simplici copulâ & de
simplici subjecto, non verò hypotheticæ, quia sint de subjecto
mixto & copulâ mixtâ, convertantur. Nos & huic opinioni
subscribimus non solum autoritate communi Logicorum,
freti, sed & ob pluralitatem propositionum, quæ actu in com-
positis inveniuntur, easdem ad convertendum ineptas esse, cen-
semus. V. G. hæc propositio: *Si omne animal currit, omnis homo
currit*, verissimâ est; conversa verò falsissima evadit: *Si omnis
homo currit, omne animal currit*, & licet alio modo convertatur,
eadem ubiq; manet falsitas, ut: *Si quidam homo currit, omne ani-
mal currit*, vel; *Si non homo currit, non animal currit*. Tandem
quòd si fortean contingat, Enunciationis compositæ & conver-
tentem & conversam veram esse, id per accidens fieri & vi ma-
teriæ evenire asserimus, V. C. in hoc exemplo: *Si Sol lucet, dies
est*, &: *Si dies est, Sol lucet*, utraq; ob terminos convertibiles &
materiæ bonitatem vera est. Sed in simplicibus quibusdam
Enunciationibus convertendis eadem ferè latet difficultas, &
an omnes Enunciationes simplices converti queant, meritò
disquiritur. *Tataretus l. d. de propositionibus illis, in quibus*

Subiectum est pronomen aliquod, præsertim primitivum, planè eas non converti posse notat. *verbi causâ* si dicas: *Ego sum animal, Tu es homo, Ille est homo, Nos sumus homines &c.* Approbat ad ipsum *Horneius in Instit. log. lib. 3. q. 36.* dicens: *propositiones hæc cum sint singulares rectè negliguntur, cum in scientiis nullum omninò usum habeant, quibus tamen inservire doctrina Conversionum debet.* Verùm hic rectè notat *Lorinus Introd. in Arist. Log. part. 3. c. 4.* de singularibus Enunciationibus; quòd quando propositio singularis tam affirmativa quàm negativa constet utroq; termino singulari, simpliciter convertatur, ut: *Johannes est hic Dialecticus, &: Hic Dialecticus est Johannes, Plato non est Socrates, & Socrates non est Plato.* Si autem prædicatum sit commune, subiectum verò singulare, conversio fieret per accidens, hoc modo: *Quoddam quod est homo, ego sum; Quoddam quod est homo, tu es; Quoddam quod est homo, ille est; &* licet illæ propositiones non adeò magnum exhibeant usum, quia tamen logica generalia instrumenta efficit, quibus in omni materiâ uti possumus, etiam illa in ejusmodi propositionibus adhibere debemus: videantur *Conimbricens. in 1. pr. c. 2. q. 1. art. 4.* De Enunciationibus, quæ constant ex terminis obliquis etiam nonnulli dubitant, an illæ converti & quâ ratione converti queant? *V. G. Pœnitet me peccati, pœnitet me vitæ meæ, Socratis inter est disputare.* Verùm solutio ad has propositiones facilis est, si quidem ea, quæ convertidebet, antequàm convertatur, reducenda est ad terminos rectos hoc modo: *Ille, quem pœnitet peccati, ego sum; ille cujus inter est disputare, est Socrates.* Paulò aliter se habet res in his propositionibus obliquis: *Fluvius inundat urbem, quæ non converti potest: urbs enundat fluvium; Morbus extinxit Petrum; Petrus extinxit morbum.* *Joannes Caramuel* tractans has propositiones in *Logicâ suâ obliquâ p. 1. d. 1. p. 409.* quas exorbitantes vocat, hunc modum convertendi, quando verbum in propositionibus obliquis immutatum manet, dicit esse adialecticum, quia ex antecedenti vero falsum deducatur; tandem ut demonstret quâ ratione conversiones bonæ distingvendæ sint à malis, distingvit inter relationes æquiparantes & discrepantes (quarum descriptionem proferre prolixum nimis foret) ac talem deinde format

format regulam generalem: Si relatio sit equiparans, conversio fiat juxta simplicem modum: Si discrepans fiat etiam juxta eundem modum: Sed in convertente addatur unum, Non, quod afficiat copulam, & reddat propositionem negativam. Prioris relationis exempla proponit hæc: *Andreas est Germanus Petri. E. Petrus est germanus Andreae.* Posterioris: *Andreas est Apostolus Christi. E. Christus non est Apostolus Andreae.* Sed cum supra citatus Autor animadvertit, quod non solum propositiones obliquæ relativæ converti queant, ideo aliam quandam regulam quam tutissimam esse dicit, proposuit, quod scilicet in propositionibus obliquis verbum activum debeat converti, in passivum, & hoc modo allata exempla convertit: *Urbs inundatur à fluvio; Petrus extinguitur à morbo.* Sed prior convertendi modus Caram, non placet: Potest enim verbum adhuc immutatum in Conversione manere, nec tamen metuendum est, quod ex antecedenti verâ falsa sequatur conversa, modo observentur Regula bonæ conversionis, & transponantur integri termini non pars termini, quod fit in adductis exemplis quando conversa in falsam abit hoc modo: *Urbs est quam inundat fluvius: Petrus este, quem extinxit morbus.* In quibus exemplis omnibus non mutatur verbum, quod tamen intendebat Caramuel, sicuti ad oculum patet, adeoq; convertendi modus non est adialecticus, sed merito retinetur. Nec distinctione illâ Caram. inter conversiones exorbitantes & non exorbitantes, inter Relationes equiparantes & disparantes opus: merus enim lusus terminorum est, adeoq; more suo Caram. novitatem sectatur: non enim ullo negotio plures ejusmodi Conversiones effingi possent, quibus tantum Tironum ingenia obruerentur, quin potius citra difficultatem eodem modo illas Enunciationes relationum & equiparantium & discrepantium, quo exorbitantes conversæ sunt, convertendas esse, monstrari posset: modo iterum integer terminus in locum subjecti transponatur; Hæc enim: *Andreas est germanus Petri,* ita verò convertitur: *Qui est Petrus, est germanus Andreae.* Multò minus illa conversio in discrepantibus, quas vocat, locū habere potest: quando in convertente additur particula. Non, & redditur propositio negativa: quia mutatur qualitas in istâ Enunciatione, quod nullo modo fieri debet, imò
illa

Illæ Enunciationes non convertuntur formâ logicâ, sed beneficio materiæ solum vera fit conversa. Hoc igitur modo optimè potest allata propositio converti: *Quidam qui est Apostolus Christi, est Andreas.* Tertia clasſis adhuc reſtat illarum Enunciationum, quas nullâ ratione, ſalvâ manente earum veritate, converti poſſe defendunt, & ea eſt particularium negativarum. In hæc ſententiâ fuit ipſe *Ariſtot. 1. prior. c. 2.* quem ſecuti ſunt *Complutenſes l. 2. Summ. c. 7. Henric. Nicolai Gymnaſ. Logic. diatrib. 9. §. 23. Du Trieu. tr. 3. part. 2. c. 2. artic. 1.* qui itidem de iſtis particularibus negativis nullam mentionem faciunt. *D. Abra de Raconis p. 2. tract. poſter. diſput. unicâ ſect. 4. q. 4.* eas converti poſſe negat, quia non ſequatur: *Aliquod animal non eſt homo: aliquis homo non eſt animal.* Sed præſupponunt contrariæ ſententiæ aſſertores quod **Converſio** per **Contrapoſitionem** nomine **Conversionis** appellanda non ſit: contrarium tamen quod **Enunciationes** particulares negativæ ad minimum per **contrapoſitionem** convertendæ ſint, quarum etiam gratia potiffimum hæc **Converſio** inventa, infra prolixius expedietur. Ex hæcenus dictis firmiter colligitur, **Conversionem** eſſe **Affectio** nem enunciationis ſimplicis adequatam, & quia omnibus Enunciationibus ſimplicibus applicari poteſt, ideo ſufficientem eam eſſe, merito cenſendum eſt.

§. V. Ad definitionem **Conversionis** deveniendum nobis erit. Ea vero non ſolum in reſpectu ad **Conversionem** ſimplicem & per **Accidens** quod, *Complutenſes l. 2. Summ. c. 7. D. Abra de Raconis l. c. 2. Fr. Titelmannus l. 3. Inſtit. c. 18. Du Trieu. tr. 3. p. 2. c. 2. art. 2. Spindlerus diſput. de Converſ. aliiq; plures faciunt: nec in reſpectu an **Conversionem** ſimplicem & per **contrapoſitionem**, quod *Anton. Ruvio. lib. 1. pr. c. 2. in ſecundo notabili*, placeat, deſcribenda eſt; Sed in reſpectu ad omnes tres **Enunciationum** ſpecies illius naturam definiendam eſſe, rectiſſime cum *B. Dn. D. Jac. Martini. l. 4. Inſtitut. Excellentiſ. Dn. D. Scharſio. l. 2. Inſtitut. Fonſeca. l. 3. Inſtitut. Log. c. 8. Hornejo l. 3. Inſtitut. q. 36. Petro Hiſpano in Summ. tr. 1. Mendoza d. 2. Summ. ſect. 5. Roder. de Arriaga diſp. 2. Summul. ſect. 4. ſubſect. 5.* aſſerimus. Talis enim **deſcriptio** **Conversionis** eſt **proponenda**, quæ omnem modum*

con-

convertenti in se complectatur, & omnibus ejus speciebus
 communis sit, aliàs definitio strictior fiet definito; quam tamen
 descriptionem Logici communi suffragio rejiciunt, ac pro vi-
 tiosâ habent. Ut taceam, quòd *Conversio κατ' ἀντίθεσιν* parti-
 cipet generalem naturam *Conversionis*, quæ in eo consistit, ut
 transponantur extrema unius totius in locum alterius, manen-
 te eâdem qualitate, veritate & sensu, ut in hoc exemplo: *Qui-
 dam pius est justus: Quidam non justus est non pius*, omnia requisi-
 ta bonæ *Conversionis* adsunt; & quod si hæc *Conversionis* spe-
 cies rejiciatur, quâ ratione particulares negantes convertentur,
 & Syllogismi in *Bocardo* & *Baroco* ostensivè reducentur, ac
 proinde tales Syllogismi (quod tamen omninò fieri necesse est)
 ad dictum de *Omni* & *Nulla* revocabuntur? Refugiunt com-
 munitè ad auctoritatem *Aristotelis*, quem hujus speciei *Con-
 versionis* nullam mentionem in organo suo fecisse, eamq; il-
 lum, quia non existimarit, aliquid conducere ad reductionem
Syllogismorum, neglexisse, asserunt; sed frustra. Monstravit id
 ipsum *Dn. D. Höpferus l. 1. pr. c. 3. ex Aristotele, qui l. 2. Topic. c. 4.
 §. 1. eam ἀνάπαλιν ἀποθέσειν h. e. conversam consecutionem
 appellasse, & l. 1. de Cælo c. 7. Philosophum aliquot hujus *Con-
 versionis* exempla attulisse, edisserit. Docet id ipsum etiam
 Stengelius lib. de *Convers. in Genere §. 20. p. m. 138. his verbis: Vel
 puero perspicuum esse debet, Conversionem contrapositionis itidem
 Conversionem veram non esse, nec ei definitionem Conversionis com-
 pete, quia non tantum immutat extrema, sed etiam terminos, & ex
 finitis facit infinitos. Sed rectè notavit ipsum, Caram. lib. 7. Me-
 tal. disp. 4. art. 6. ponens hoc exemplum pro *Conversione* con-
 trapositionis, in quo omnes propositiones veræ sunt eandemq;
 retinentes qualitatem: *Aliquis homo non est lapis: E. Aliquod
 non lapis non est non homo: E. Aliquod non lapis est non non homo:
 E. Aliquod non lapis est homo.* Urgent quidem contra nos, ut &
 Stengelius, quòd *Conversio* per *Contrapositionem* non retineat
 requisita bonæ *Conversionis*; mutet enim qualitatem *Enun-
 ciationum*, id est affirmationem & negationem. Probant
 ipsum, quia faciat ex affirmante negantem, & mutet terminos
 finitos in infinitos: *Propositio* verò infinita de verbo absoluto
 B verè**

verè æquipolleat neganti. Sed negamus, quod quando mutantur termini finiti in infinitos, tunc ex enunciatione affirmante fiat negans, quia illa particula NON commiscetur termino & fit pars termini, nec destruit, quicquid post copulam invenit. Certum quidem aliàs est, propositionem infinitam de verbo absoluto æquipollere neganti, sed propterea in iudicio formali negans non est. Rectius itaq; cum Nostris asserimus, Conversionem καὶ ἀντίθεσιν esse speciem Conversionis, quam analogiam quandam in eâ agnoscamus, quicquid etiam alij è contrario sentiant.

§. VI. His præsuppositis ac iis, quæ fortean aliquam obijcere nostræ tractationi remoram poterant, excusis, talem Definitionem Conversionis exhibemus: *Conversio est affectio Enunciationum simplicium, quâ transponuntur extrema integra Enunciationis manente eâdem qualitate, veritate & sensu.*

§. VII. Definitionem hanc resolvimus in tres partes. In prima expediemus conceptum latiore, Genus: Altera sistet conceptum contrahentem essentialem, qui consistit in transpositione extremorum integrorum; cui jungimus consequentem quæ exhibebit requisita ad conversionem maximè facientia.

§. IIX. In assignando Genere Conversionis Autores in varia scinduntur sententiarum divortia. *Antonius Ruvius in Comment. lib. 1. pr. c. 2. hoc modò Conversionem describit: Conversio propositionis est argumentatio, in qua per transmutationem prædicati in subiectum colligimus unam propositionem ex aliâ; profert etiam exemplum & dicit, quòd rectè inferatur: Nullus homo est animal. E. Nullum animal est homo. Non multum dissentit Job: Lorinus in Introd. in Arist. Logicam c. 4. ubi agens de Conversione illam sic describit; quòd sit illatio unius propositionis ex alterâ, proveniens ex extremorù transmutatione, ut id sit in una subiectum, quòd erat in altera prædicatum, & conservatâ eâdem qualitate. In ea quoq; opinione est Domin. Bannes l. 5. Dial. min. c. 2. tradens hanc definitionem: Conversio est bona consequentia ex una simplici Categorica in alteram permutatis duntaxat extremis, in quibus participant. Sed illi meritò à Nostris notantur. Nunquam*

quam enim formaliter & in se, Conversio argumentatio est. Argumentationem ipse *Lorinus l. d. p. 4. c. 1.* describit, quod sit, oratio in qua ex eo, quod est magis notum, id quod est minus notum inferitur. In conversione vero non inferitur minus notum ex magis noto, quin potius semper medium deficit, & in quantum deficit ignotum, in tantum Argumentatio vera non est. Immo idem *Lorinus* tria ad argumentationem, in qua minus notum ex magis noto inferri debet, judicat esse necessaria 1. Propositionem, ex qua fiat illatio, & hanc vocat antecedens. 2. Propositionem, qua inferatur, & hanc appellant Consequens. 3. Judicium, quo unum judicetur ex alio, & hoc nominat significatum per particulam illativam. At in Conversione hujus Enunciationis: *Nullus lapis est animal, & Nullum animal est lapis: omnis homo currit: E. Aliquod currens est homo*: non est propositio, ex qua fiat illatio minus noti ex magis noto. E, non est ibi argumentatio perfecta. Confirmat etiam nostram sententiam communis Logicorum assertio, qui ad quamvis argumentationem perfectam necessario plures premissas & tres terminos requiri, inculcant: Ratio in promptu est, quia ut in consequenti uniatum subjectum predicato, debet prius in premissis predicatum & subjectum uniri cum aliquo tertio, h. e. cum medio, ut inde possit inferri unita inter se, juxta illud principium per se notum: Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Requiritur ergo praemissa duplex: una in qua predicatum uniatum cum medio: altera, in qua subjectum uniatum cum eodem medio, ex quibus inferitur consequens uniens illud predicatum cum Subjecto. Hac etiam de causa *Roder. de Arriaga d. 15. Log. f. 2.* Syllogismum & Argumentationem aequivalenter idem esse dicit, nullamque argumentationem dari, quae non sit Syllogismus, docet. Ergo aut termino argumentationis abutuntur aut inusitatam ejus significationem fingunt. Consecutionem inter enunciationem convertentem & conversam admittimus; Negamus tamen, & in illa formale Conversionis consistere, & illam esse in rigore dictam argumentationem. Ex his igitur ventilatis manifestum evadit, conversionem ad tertiam

tiam mentis operationem per se non pertinere, nec Enunciationibus, quatenus in Syllogismo ponuntur, solum convenire, sed in secundâ mentis operatione optimo jure adhuc tractari posse. Discedunt à nostrâ sententiâ *Fonseca l. 6. Instit. c. 7. Mendoza d. 10. Log. Sect. 25. Approbat id ipsum Du Trieu a. 2. tr. 3. f. 192. Domin. Bannes l. 5. Instit. Min. Dial. c. 2. ita in fit: tractatum de absolutarum propositionum conversione in hunc usq; locum distulit, tum quia ipse Philosophus hic opportunè hac de re agendum censuit, tum etiam, quia hujus rei cognitio hætenus necessaria non fuit.* Nos equidem non diffitemur, quòd in secundâ mentis operatione hæc doctrina præcipuè propter respectum ad Syllogismorum reductionem, quod Bannes intendit, consideretur, negamus tamen, quod non benè inter præcepta secundam mentis operationem dirigentia Conversio tractetur, & illius natura explicetur, quod vel ex eo constat, quia ab illatione & discursu unius ex alio abstrahi, & nudè citra illum spectari potest. Confirmat id ipsum natura Conversionis, quæ consistit in transpositione extremorum Logicè facta, sed hanc transpositionem extra Syllogismum institui posse nemo negabit. Accedit, quòd Affectionis hujus usus in Syllogismo adhiberi non possit, nisi priùs cognitum fuerit quid & quotuplex sit Conversio. Præterea finis Conversionis est discretio veri à falso: Ille finis extra respectum, ad Syllogismum quodammodò obtineri potest. Firmum itaq; certumq; manet, quòd usus Conversionis in tertiâ mentis operatione emineat, & maximè conspicuus sit, ipsa tamen tractatio formalis secundæ mentis operationi conformis & præceptis de ejus directione propria maneat.

§. IX. Nos verò dicimus proximum Conversionis Genus esse Affectionem unitam, tum quia est Conceptus latior, qui pluribus speciebus communis est; Equipollentia enim, ut & Oppositio sunt Affectiones Enunciationis; tum, quia immediate nullò alio genere intercedente de conversione dicitur essentialiter & æquè primò, quæ ad rationem generis sufficiunt. Et licet genus hoc Conversionis à Logicis non expressè ponatur, subticent tamen illud & semper subintellectum volunt. Urgent quidem contra Nos, quòd Conversio sit transpositio terminorum

rum

rum, & sic esset passio terminorum & non passio propositionum; Sed negamus Consequentiam: Conversio enim non est transpositio terminorum simpliciter, sed terminorum duarum Enunciationum. Convenit itaq; terminis non secundum se, sed ut in Enunciationibus subjectum sunt vel prædicatum. E. etiam Enunciationum, non terminorum est passio.

§. X. Conceptum contrahentem quod spectat, naturam Conversionis in transpositione extremorum integrorum, sive ut alii loquuntur, in mutatione prædicati in subjectum, consistere asserimus: per hanc enim distinguitur à reliquis affectionibus omnibus, quæ prorsus alio formali gaudent. Non verò quæcunq; transpositio Subjecti & prædicati hîc locum habet, sed quando totum subjectum ponitur pro prædicato & contrâ. Unde falsa conversio: *Nullus cantharus est in cerevisia. E. nulla cerevisia est in cantharo.* Ita converti debet: *Nihil quod est in Cantharo, est cerevisia.* Sic hæc: *DEUS non fuit ab æterno creans:* non est convertenda hoc modo: *E. creans non fuit ab æterno DEUS.* Sed ita convertendum est. *Qui non fuit ab æterno creans, est DEUS.* Sed ea reciprocatio terminorum attenditur, quæ ex vero verum eliciat. Unde per hæc verba distinguitur hæc Conversio à reciprocatione terminorum simplicium, quæ Convertibilitas dicitur, & quadruplex est: secundum rem, ut; *homo & rationale* eandem rem dicunt: secundum conceptum, ut duo Synonyma planè idem dicentia, ut: *ensis & gladius:* secundum prædicationem, cum proprium & Subjectum idem dicunt, ut: *equus est hinnibilis,* & secundum relationem, cum unum dicit respectum ad alterum, ut: *Pater est filij Pater,* & contra; quæ reciprocatio omnis hîc excluditur. Opponunt hîc sese nobis & dicunt, quod Subjectum in prædicatum, & prædicatum in subjectum mutari non possit: confirmant illud: disparatum quippe unum non potest mutari in aliud, & forma non potest fieri materia; prædicatum verò habet rationem formæ, subjectum rationem materiæ. E. sicut forma mutari non potest in materiam, nec contra: ita nec prædicatum in subjectum. Igitur etiam Conversio per mutationem prædicati in subjectum fieri non potest. Sed R. Subjectum &

prædicatum dupliciter considerari posse: 1. materialiter pro-
re scilicet substratâ, quæ subjectum vel prædicatum denomina-
tur, quæq; modo subjecti, modò prædicati rationem induit.
2. formaliter, prout rationem subjecti obtinet vel prædicati.
Concedimus itaq; prædicatum formaliter sub ratione prædi-
cati sive manens prædicatum non posse esse subjectum, mate-
rialiter verò negamus.

§. XI. Requisita in nostra definitione tria sunt; primum
est, ut eadem qualitas: alterum, ut eadem veritas: tertium, ut
idem sensus ubivis maneat & retineatur.

§. XII. Primum requisitum est, ut maneat eadem
qualitas. Ubi per qualitatem intelligenda est affirmatio & ne-
gatio, quæ etiam potissimum dici solet qualitas propositionis.
Conversio itaq; est talis terminorum in propositione translo-
catio, quæ utrobique, h.e. in convertente & conversa servat ean-
dem qualitatem, ut si illa sit affirmativa, & hæc affirmativa sit,
& si illa sit negativa & hæc negativa fiat. Discedit hac in parte
à nobis *Henr. Nicolai Diatr. 9. Log. §. 19. Gutkii c. 6. Syn. Log.
p. 397. 398. Mendozad. 2. Summ. f. 5. Arriaga d. 2. Summul. f. 4.
subs. 5.* qui qualitatem planè omittunt, & nullam istius in defi-
nitione Conversionis mentionem faciunt. Rectius tamen ex
Nostratibus Dn. D. *Scharfius l. 2. Log. c. 10. B. Jac. Martini 4 Log.
2, Scheibl. c. 10. de propos. num. 7. 8.* aliiq; docent, necessarium
admodum esse ut eadem qualitas, id est, affirmatio & negatio
tam in convertente, quam conversa retineatur: sæpissimè enim
hac non observatâ aliquis decipi & falli potest. Nec rationes
pro contraria opinione assumenda tanti sunt momenti ut con-
trarium nobis svadeant. *Henr. Nicolai l. d.* urget, quod Conversio
κατ' ἀντίθεσιν omninò faciat ex affirmante negantem ob muta-
tionem terminorum finitorum in infinitos. Sed ad hoc ipsum
superiùs respondimus, & rectè negat nobiscum *Scheibl. l. d. num. 8.*
in hâc Conversionis specie mutari qualitatem: *non enim, ait,
est incompositione negatio alia, quàm infinita, quæ non facit pro-
positionem, sed terminos solùm negatos.* E. contrario tamen
Joh. Lorinus Introd. Log. part. 3. c. 4. in descriptione Conversio-
nis solius qualitatis (reliquis requisitis omisiss) mentionem in-
jicit,

jicit, quod etiam *Du. Trieu. tr. 3. part. 2. c. 2. art. 1.* placuit. Cor-
rexit tamen id ipsum *Animadv. 28. in manud. Log.* & alterum re-
quisitum, puta veritatem ad definitionem, licet ob alium finem
intentum, adjecit. Insuper reperiuntur nonnullæ Enuncia-
tiones, eandem qualitatem, id est, affirmationem & negatio-
nem ubiq; retinentes, quæ tamen propterea veræ non sunt :
*V. G. Nullus piscis in aquâ respirat, & : Nullum respirans in aquâ
est piscis. N. Grammaticus est indocilis, & : Nullum indocile est
Grammaticus.*


§. XIII. Ad alterum requisitum conversionis accedimus
ad veritatem, quod in hâc doctrinâ perquâm & summè neces-
sarium esse cum *Dn. D. Scharfio l. 2. Instit. Log. c. 2.* asserimus,
ita ut convertente vera conversa falsa esse (servatis legibus
conversionis) non possit, ut : *Quoddam animal non est Leo : E-
quidam leo non est animal.* Falsæ sunt illæ conversiones : nam
prior vera, posterior falsa. Videatur *Scheibl. l. d. c. 10. num. 9.
Conimbric. 1. prior. c. 2. in commentar. §. 4. p. 271.* Non verò
sola veritas ad requisita Conversionis sufficit, quod *Caram. l. d.*
placet, sed ut etiam reliqua adjiciantur, maximè necessarium
est : propositio quippe utraq; & convertens & conversa vera esse
potest, quæ tamen reliquis requisitis destituitur.

§. XIV. Tertium requisitum est idem sensus, debet enim
eadem suppositio, ampliatio & idem status manere : Si
enim termini convertentis latiores, aut conversæ accipiantur
strictiores proclive erit infalsitatem incidere. Unde *Conim-
bric. in Comment. in c. 2. de Conv. q. 1. art. 1.* rectè advertunt, quod
in formali Conversione diligenter observandum sit, ut termini
in convertente iidem sint atq; in conversa & illam identitatem
tripliciter considerari posse dicunt. Primò secundùm rem si-
gnificatam, ut scilicet utrinq; termini idem significant. Nisi
enim totum prædicatum conversæ fiat totum subjectum con-
vertentis, verum erit antecedens & falsum consequens, ut su-
pra jam dictum est. Secundò per modum significandi, quan-
quam cum exceptione aliqua : potest enim quandoque
quod in unâ propositione est verbum, in alterâ participium
esse istius verbi, ubi consequenter hoc ipso modo significandi
non

non

non est idem, veluti: *Plato disputat: E. quoddam disputans est Plato.* Tertiò, potest illa identitas considerari quoad acceptionem & suppositionem, ut termini non sumantur in una latius augustiusvè, quàm in alterâ. Quibus benè addi potest ut in omni Conversione etiam idem status & eadem ampliatio, ubiq; facta tecta conservetur. Nam quando termini non eundem statum sortiuntur, nec eandem retinent ampliacionem, falsa itidem fit conversa. V. G. vera est: *Aliquis homo est mortuus; falsa: Aliquod mortuum est homo, quia terminus, homo, inconvertente habet statum & pro solis existentibus hominibus sumitur; in conversa habuit ampliacionem, scilicet pro eo, qui est aut fuit homo, est mortuus.* Rectè itaq; convertetur quando Subjectum conversæ in convertente accipitur quemadmodum in conversa fuerat acceptum pro re præterita non pro præsentè hoc modò: *Aliquod mortuum est aut fuit homo.* Confer Dn. D. *Höpfner. l. 1. pr. c. 2. Scheibl. l. d. num. 14. Stengelium c. 3. de Conv. propos. Favellum tr. 3. de Propos. c. 2. Du-Trieu l. d. Alios.*
Tantum.

SOLI DEO GLORIA!



Coll. diss. A. 122, misc. 60